


APPARATUS
BIBLICUS,
SIVE MANUDUCTIO
AD SACRAM SCRIPTURAM,

Tum clariùs, tum faciliùs intelligendam.

Auctore R. P. *BERNARDO LAMY,*
Congreg. Orat. Presbytero.

EDITIO NOVISSIMA MAGIS AC MAGIS ADAUCTA

CUM FIGURIS ÆNEIS.



LUGDUNI,
Apud *JACOBUM CERTE,* in vico Mercatorio,
sub signo sanctissimæ Trinitatis.

M. DCCXXIII.
CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

vobis, sicut decet sanctos. Canes quidem laudantur quia fideles sunt & optimi custodes; sed quia gulæ & libidini, etiam in propatulo indulgent, nomine eorum appellantur homines immundi, inverecondi & voraces. Quin canis licet mansuetus & cicur sit, attamen ignotos quoslibet latratu sæpè etiam morfu laceffit, nullâ injuriâ provocatus. His de causis homo vilis & maledicus pro cane reputatur. Judæi non aiebant sues; ideò in Scripturâ dicitur filium prodigum abiisse in longinquam regionem, ubi porcos pavit. Urbs Gadara, in cujus agro pascebantur porcorum greges, Græca fuit, non Judaica. Potissima autem causa propter quam lex prohibebat carnibus suillis vesci, est fæda porcorum sorditudo. Sus multas sordidasque res comedit: volutatur in luto. Huc ergo spectabat ista interdictio, ut se à peccatis atque immunditiis abstinerent Judæi. Sus lutulentum & immundum animal, ventri semper & pabulo servit. Interdixit ergo Deus, verba sunt Lactantii, ne Judæi porcina carne uterentur, id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur; nec prodesse possunt nisi cum morte afficiuntur.

III.

De feris quadrupedibus.

Inter feras quadrupedas primus est leo. Hujus sunt septem nomina in Hebræo fonte, pro totidem ætatis diversis gradibus. Scriptura notat illa omnia in leone terribilia, faciem, incessum, rugitum, ossa, dentes, manum denique, vel digitos aduncos. Primatus inter feras ei defertur: cæteris robore præstat. Ferox est & ad iracundiam pronus. Habitat in solitudinibus; incolis enim regiones viduat. Inhiat prædæ, cui, cum eam arripuit, solet accubare. Impavidum est animal, cedere nescium. Ex hisce leonis proprietatibus crebræ eruuntur in sacro Codice comparationes per se apertæ.

Pardus est animal leoni simile, nisi quod parvum est, & pellem habet nigris maculis distinctam. Pardus ad saltum

Mirandæ pernicitatis est, quanquam oneretur caput vastis cornibus. Ut fugiat venatorem, sese dejicit deorsum ex locis excelsis, sed dorsum admovet rupibus, eum defendunt cornua ejus, à capite ad nates producta.

Opher sumitur in Cantico Salomonis pro capreæ aut cervæ hinnulo.

Act. cap. 9.
v. 36.

Tsebi Hebræis caprea est; quam vocem Chaldæi efferunt *Tabitha*. Hinc *Tabitha*, puellæ nomen ubi à Lucâ Græcè redditur *Δορκάς*, *Dorcas*, id est, *capra*. Quæritur cur in Canticis Sponsus cum capreâ toties conferatur. Rationem ferè omnes Interpretes reddunt, quia caprea animal sit perspicacissimum; undè Græcum nomen *Δορκάς* illi inditum à verbo *δρῖναι*, quod idem sonat ac *videre*; sed cùm hæc allegoria Græci capreæ nominis etimologiâ nitatur, non textu Hebræo, & de sponsi saltibus, aut fugâ, aut reditu agatur, nihil aliud puto respici, quàm capreæ in cursu aut saltu agilitatem: cui similis sponsi alacritas, & exequendi celeritas ac facilitas, quidquid agat aut moliatur.

Reem vel *rem* vetustissimi Interpretes *monocerotem* esse voluerunt, id est, animal *unicornu*. Multa autem animalia celebrantur unicornia. Præter rhinocerotem, qui habet cornu in naso, sunt equi & asini, boves Indici, quibus unicum cornu est in fronte, si fides facienda sit antiquis Scriptoribus. Neque enim ulli visa sunt illa animalia unicornia in Indiâ & aliis regionibus, quæ navigantibus nunc perviæ sunt. A plerisque monocerotes recensentur inter Chimeras. Itaque Scriptura non fecisset toties sermonem de animali ignoto, nec ab eo similitudines sumeret. Quin nec unum cornu videtur dare animali, quod *reem* appellat; loquitur enim de cornibus ejus in plurali. Cùm autem dicat David à Deo exaltandum esse cornu ejus, ut *reem*, supple cornu vel cornua, necesse est ut animal illud, qualecumque fuerit, cornua excelsa habuerit; undè jure colligitur non esse Rhinocerotem, cujus cornu depressissimum. Neque etiam Uri sunt, sive boves sylvestres, ignota animalia in terrâ Israël. Ergo *reem* videtur esse bicornis caprea aut *orix*. Vocem illam notat Bochartus accedere

ad nomen Arabicum quarumdam caprarum, quarum cornua longa, acuta & fortia sunt, eâ re præstantes sive discrepantes à capreis, quæ ordinariæ sunt. Tale est capreæ illud genus, quod dicitur *Orix*, cujus cornibus pro armis utuntur Æthiopes, Strabone teste. *Orix* alio hoc-ce nomine appellatur in Scripturâ *Theo*, vel *Tho*.

Quod animal appellatur in Hebræo Codice *porcus de sylvâ* est *aper*, qui infestus & noxius est agris, quos vastat, ut patet in apro illo Calydonico, quem Ovidius describit. Psalmista *Psal. 79. v. 9.* describens res adversas Judæorum, comparat eos vineæ, quam vastaverat *porcus è sylvâ*, id est, *aper*. Ex Ovidio discimus apros in juncis palustribus degere; quare feras arundinis, de quibus loquitur idem Psalmista opinor non alias fuisse quàm *Pf. 78. v. 31.* apros.

Simias advexerat in Judæam classis Salomonis. Vocem enim Hebræam *Kophin* Interpretes reddunt *simias* magno consensu.

Arnebeth Hebræorum est animal immundum & prohibitum. Ipsi Hebræi illud pro lepore habent. Placet aliis esse cuniculum. Lepus ab Arabibus dicitur *arneb*; undè deducit Bochartus *arnebeth* verè esse leporem: putat autem ideò prohibitum: in lege, quia proclivis est in libidinem.

Saphan Hebræorum est cuniculus juxta aliquos: aliis videtur majoris muris genus, aliis *chærogryllus*, aliis *hericius*, aut *hystrix*. Sunt qui sic describunt *chærogryllum*, quem & *erinacium* appellant, ut formam habeat porcelli spinosi, vernaculè *porc-espi*.

Achbar Hebræorum murem agrestem sonat, qui agrorum pernicies est. Ergo mures illi qui Philistæorum, dum captivam arcam tenerent, agros populati sunt, agrestes erant, nempe ex agris ebullierant; quod non semel contigit. Quin propter multitudinem horum murium agrestium nonnullos populos mutasse sedes historici referunt. Non itaque *achbar*, quivis mus est, sed certa species, nempe muris agrestis. Plerique tamen hoc animal habent pro mure domestico.

Choled Hebræum Hieronymo & plerisque aliis *mustella* est. Bochartus putat esse murem cæcum sive talpam; undè *achbar*

& *choled*, ut congeneres, à Moyse conjunguntur. Nomen illud apud Syros & Arabas denotat talpam, & à verbo deducitur quod *fodere* significat. Fodiunt autem sibi larem talpæ sub terrâ.

Kippod Hebræum redditur à B. Hieronymo *hericius*. Alii tamen volunt esse testudinem, hi castorem, alii lutram. Sunt etiam qui contendunt esse avem. In hericiorum autem genere *hystrix* numeratur, spinas habens missiles; itaque porcus spinosus.

I V.

De quadrupedibus oviparis.

Inter quadrupedia animalia quædam sunt ovipara. Horum sex species recensentur à Moyse, nempe *Tsab*, *Anacha*, *Coach*, *Letaa*, *Chomet*, *Thinsmeth*. Addi possunt *semamith*; sed ab *anacha* solo nomine differt: & *leviatan*, qui crocodilus est, & ideò inter aquatica animalia numerandus. Ut de his pauca dicamus, primùm *Tsab* est crocodilus terrestris. Sic Hieronymus & Græci sentiunt. Contendunt alii esse bufonem vel testudinem. Crocodilus autem ille non est bellua Ægyptia magnæ molis, sed genus lacertæ in sepibus & maceriis commorari solitæ. Ideò bellua Ægyptia dicta crocodilus, quod crocodilos terrestres similitudine referret. Neque enim nisi mole suâ dissimilis est lacertæ.


Coach redditur Græcis & Hieronymo Chamæleo. Nomen Hebræum, quod idem sonat ac *robur*, indicat fuisse speciem robustioris lacertæ. Bochartus credit fuisse lacertam viridem, qui pugnax est. Et lacertæ genus est Chamæleo, ut modò dicemus.

Letaa juxta vetustos Interpretes *Stellio* est, lacerta maximè venenata, similis salamandræ.

Chomet est lacerta in arenâ degens; undè nomen habet. Hebræis enim *chometon*, quod Græcis *ἀμμος*, arena est, ut sentit Bochartus.

Thinsmeth Græcis & Hieronymo talpa est. Bochartus probat esse

CHAMELUS
Chameau



RHINOCEROS

